

**A** litum, quo amicitiae firmitas ac perseverantia significetur. quare plerique; ominosum habent, si sal in mensam pro fundi contigerit: contra verò faustum, si vinum atque id merum effusum sit. Vel, quia velut ex aquis sal multis & fusilibus in unum quoddam & soli dum coit, ita ex diversis convenientes in unum animi coalescant, fiatque; Platonico illud, *μὴ ἀφ' ἑαυτῶν*.

A' MVSIS ET GRATIIS ALIENVS.

**S**ed ut ad piscem reuertamur, cum animalia reliqua tam terrestria quam volatilia, multa det & ingenij & docilitatis experimeta, soli pisces indociles prorsus & stupidi sint, praeter pauca admodum, quae vel in Delphino, vel in paucissimis aliquot admiramur, mos apud Aegyptios inoleuerat, ut cognomēto piscis hominem à Musis & Gratijs alienum cauillantes appellarent. Sed qui piscium partes tuentur, multa etiam in eo animantium genere deprehendunt, quae mentis aliqua vestigia praeseferant, sed propter habitationis dissidentiam, ea hominibus minus cognita: terrestria siquidem & aëria domi propemodum & in nostro ferè omnia municipio cōtemplamur, quare multa facilius licuit explorare: Aegyptijs verò ea minus innotuisse quam alijs, qui nullum cum piscibus commercium habere voluerint. Nam ut reliqua huiusmodi multa dissimulem, in Eboro Siciliae fluuio, qui urbem Eloram à se ita nuncupatam praeterfluit, cicurum genus piscium fuisse tradit Apollodorus: in clamat enim accedebant, & cibum è porrigentis manu placidissime capiebant. Citat Stephanus Chronicon primum, ubi haec ab Apollodoro memoriae demandata fuerint. At veterum parsimonia nunquam satis laudari potest: nam apud Homerum non Gracos solum, quo tempore circa Hellespontum militabant, piscibus abstinuisse comperias, sed & Phæacas, Horatij etiā nostri testimonio, helluones procosque; ipsos Penelopes sola ganea nobiles, quamvis infames essent, marinum obsonium nullum appetisse. Vlyssis verò focios videas non nisi extrema necessitate coactos expiscari, quippe cōmeatu omni absumpto, ne Solis boues attingerent, non obsonij causa, sed ut famis ferociam, quae ob ingenitam importunitatem maleuada dicitur à poetis, aliquo pabulo mitigarent. Videas apud Satyricos piscium esculenta, utpote quae tantum ad luxum & ingluuiem spectent, sapius improbari. Neque lautiora aliter Romanis, ubi se delicijs dedere coeperunt, cōuiuia fuere, quam opipare piscibus instructa, eo inquam tempore quo illis omni turpitudinis genere lasciuire licentius sibi permittebant, pristina profus abolita disciplina, quod Satyricus poeta carpit:

*Atque ita deficit nostrum mare, dum gula sanit*

*Retibus assiduis penitus seruat ante macello*

*Proxima nec patitur Tyrrenum crescere piscem.*

*Instruit ergo focum prouincia.*

Ne verò quae Seneca in Romanorum luxuriam libro Quaestionum tertio refert, hinc stomachosius repetam, Catonem merito admirari solitum accepimus, quomodo ciuitas salua esse posset, in qua piscis plurius quam bos vendaretur: quod in hac quoque temporum miseria passim fieri, manifestum est.

G A N E A.

**N**eq; quidem satis fuit piscibus in escaurum principatum admitti, verum eò improbitatis & petulantiae processere, ut soli sibi obsonij nomen vsurparint: nam veteres *ἀφισκάρητες*, hoc est, obsonatores, ut Latini vocabulum à Graecis mutuari dixerunt, eos appellabant, qui pisces vndecunq; conquisitos studiosius compararent. Demosthenem aiunt cum Philocratē cupiditatis impudicitiaque; crimi-